

videbimus. Denique Scriptura docet hæc gratiæ auxilia sæpe donari; quamvis enim frequentius hoc dicatur indifferenter de donis gratiæ, nihilominus sub illis comprehenduntur hæc auxilia, et interdum de illis in speciali est sermo, ut cum dicitur Joan. 1: *Deus illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*: nam illuminatio in eo qui illuminatur recipitur, et per eam ad agnoscendum juvatur. Item solet gratiæ auxilium significari nomine *Spiritus*, qui ad bene operandum nobis datur, unde et spiratio appellatur, juxta illud: *Spiritus ubi vult spirat, et vocem ejus audis*, Joan. 3; unde Paulus, ad Ephes. 4, orat *ut Deus det vobis spiritum sapientiæ, et revelationis, in ejus agnitione; illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis quæ sit spes vocationis ejus*, etc.; sic etiam dicit 2 Timot. 1: *Non dedit nobis spiritum timoris, sed virtutis, et dilectionis, et sobrietatis*.

5. *Probatur ex Conciliis.*—*Inefficax aliorum probatio ex Concilio Tridentino.*—Præterea, ex his et similibus locis sumptæ sunt plures Conciliorum locutiones, quibus gratiæ auxilia significantur ut dona creata nobis inhærentia. Sic Concilium Milevitanum, can. 3, dixit: *Sed etiam in adjutorium, ut non committantur*; et can. 4, tradit hoc adjutorium non consistere in sola revelatione, sed in aliquo alio dono quod nobis præstatur, ut quæ facienda cognoverimus, facere diligamus, atque valeamus. Clarius Concilium Arausicanum, canon. 4, dicit per Sancti Spiritus infusionem et operationem, voluntatem nostram a peccato purgari, atque ad id præparari; et canon. 5, dicit fieri in nobis per gratiæ donum; et can. 6, de reliquis actibus ait fieri per infusionem et inspirationem Spiritus Sancti in nobis; ac denique idem non minus clare sumitur ex Concilio Trident., sess. 6, cap. 5, ubi docet initium justificationis sumi a præveniente gratia, quæ sine dubio est unum ex divinis auxiliis, quod declarat dicens: *Hoc est, ab ejus vocatione*, quam in homine recipi manifestum est; unde statim vocat eam excitantem gratiam et tactum cordis, qui in homine fit per Spiritus Sancti illuminationem et inspirationem, quæ omnia manifeste dicunt actus nobis inhærentes. Quod aliqui etiam colligunt ex eo quod subdit Concilium: *Neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens*: nam videtur his verbis expresse significari illam inspirationem in nobis recipi; sed decepti sunt in verbo *recipiendi*: nam ibi non significat physicam receptionem, sed liberum consensum, sicut dici-

tur recipere fidem, qui vult credere. Consentire ergo inspirationi est recipere illam, sicut abjicere eam est illi dissentire, ut in can. 4 idem Concilium explicavit; nam abjicere illam, ita ut nos non excitet, sæpe non est in hominis libertate, sicut non est in nostra potestate, quin visis tangamur; ex hac vero potestate recipiendi hoc modo, vel abjiciendi inspirationem, optime colligitur illam esse aliquam cogitationem vel motionem animi nostri, ac subinde nobis inhærerere. Addit denique ibi Concilium gratiam adjuvantem, quæ etiam est aliquid distinctum ab ipso Deo, modo supra declarato, et ideo si est internum adjutorium, non potest esse nisi in nobis: unde in capite decimo-sexto Deum in homines justificados juxta virtutem influere ait, quæ virtus bona eorum opera semper antecedit. Quam doctrinam can. 4 repetit, et in 5 addit liberum arbitrium moveri et excitari per vocationem, quod sine aliquo prævio dono inhærente ipsi libero arbitrio intelligi non potest.

6. *Probatur ratione.*—Tandem addi potest ratio, quia auxilium gratiæ præbet voluntati vel intellectui vires ad agendum, vel ipsammet actionem; sed utrumque fit per aliquod nobis inhærens, quæ ratio ex principiis superioribus positus est manifesta. Unde Pelagiani, vel eorum reliquiæ, aut alii hæretici, possunt a doctrina data dissentire. Pelagius enim cum omnes actus ad salutem utiles fieri posse viribus naturæ diceret, consequenter vera auxilia gratiæ negavit, et licet aliqua interdum admiserit ut utilia, seu ad facilius operandum, solum fuit per modum doctrinæ et revelationis ex parte objecti, non per modum auxilii interni dantis vires ad operandum, et ex Augustino in libro de gratia Christi in tertio Prolegomeno ostendimus. Novi autem hæretici, in contrario extremo, licet hominem per seipsum aliquid boni agere posse negent, ideo corruptionem humanæ naturæ exaggerant, ut vera gratiæ auxilia negare, et totam gratiam in favore extrinseco ponere cogantur. Dicunt enim non posse ad justitiam se disponere, et quo magis ad hoc conatur, eo magis peccare, nec posse fructus veros justitiæ facere, sed in omnibus suis actibus peccare. Nullum ergo verum auxilium gratiæ in eorum sententia nobis datur, sed solus favor, quo peccata propter fidem non imputantur; de ipsa vero fide quid senserint, vel consequenter loquendo sentire potuerint, in superiori libro, capite secundo diximus, et ideo de his erroribus nihil amplius dicere in præsentem necesse est.

7. *Assertio quarta.*—*Auxilium internum gratiæ est qualitas, vel actio aut passio.*—*Non potest reduci ad aliud prædicamentum.*

—Dico igitur primo auxilium gratiæ in nobis esse qualitatem aliquam, vel actionem, seu motionem nobis divinitus immisam. Ad probandam hanc assertionem, suppono ut clarum non posse auxilium gratiæ ad aliquod prædicamentum præter qualitatem, vel actionem, sub qua passionem semper includo, pertinere, quia ostensum est esse accidens, per quod a prædicamento substantiæ excluditur, et cum sit in superioribus potentiis animæ rationalis, constat esse accidens spirituale, per quod a quantitate et cæteris imperfectis prædicamentis excluditur, nam licet aliquod auxilium gratiæ possit dari etiam in phantasia, vel appetitu sensitivo, ac proinde materiale sit, manifestum est longe distare a quantitate: nam ad effectus longe diversos datur. Et eadem ratione non potest auxilium gratiæ in relatione aliqua poni, cum relationes nec principia agendi, nec per se termini actionis, nec etiam actio per se tendens ad aliquam actionem esse possint, ut tanquam manifestum suppono. Relinquitur ergo ut solum ad alterum ex illis duobus prædicamentis qualitatis, vel actionis possit auxilium gratiæ pertinere.

8. *Divisio auxilii in habituale et actuale.*—De illis vero duobus est nonnulla dubitatio, nam quidam distinguunt auxilium in habituale et actuale, et dicunt auxilium habituale esse qualitatem; actuale vero non esse qualitatem, sed motionem puram, ac in sola actione vel passione consistere; et videtur favere divus Thomas prima secundæ, quæstione centesima, articulo secundo, ubi in genere tractans de gratia, prius concludit esse qualitatem, vel actionem, et postea distinguit gratiam in habitualem et actualem, et habitualem dicit esse qualitatem, actualem vero in prædicamento actionis reponi. Videtur intelligere ita esse actionem, ut nihil aliud sit, neque ullo modo sit qualitas: nam si tantum intellexisset esse actionem, quia semper tale auxilium per actionem datur et conservatur, nulla esset differentia a D. Thoma constituta inter habitualem et actualem gratiam, quia etiam habitus non dabitur nobis sine actione Dei supernaturali et gratuita. Nobis vero in præsentem distinctio illa necessaria non est, quia in hac prima parte hujus operis de sola gratia actuali tractare proposuimus. Unde nomine auxilii solum illud intelligimus, quod in actuali operatione consistit, vel, solum quamdiu illa du-

rat, in nobis permanet, quanquam suo modo possit etiam habitus vocari auxilium, quod ad solum modum loquendi spectat, ut in sequentibus iterum dicam.

9. *Uberior explicatio et probatio assertionis quartæ.*—*Auxilium gratiæ non in sola motione, sed etiam in qualitate consistit.*—*Actionis Dei in nobis triplex terminus cogitari potest.*—De auxilio ergo gratiæ sic sumpto, dico non esse solam actionem vel motionem, sed etiam qualitatem, quamvis dependentem ab actuali vitæ operatione. Declaratur et probatur, quia imprimis necessarium est ut auxilium gratiæ incipiat ab actione Dei in nobis, quia auxilium actuale consistit in actuali mutatione interius in potentiis nostris facta, ut ex ipsis terminis et probationibus tertiæ conclusionis manifestum est: omnis autem actualis mutatio media actione incipit, quia progredi ab agente et in subjecto recipi necesse est. Hæc autem actio, necesse est ut habeat aliquem terminum, hoc enim est de ratione omnis actionis realis, ut ex philosophia et metaphysica suppono, quia omnis actio est via quædam, et via ad aliquem terminum ducit, nec aliter concipi potest. Omnis ergo actio Dei in nobis habet pro termino aliquod gratiæ donum in nobis factum. Hic autem terminus seclusis habitibus triplex cogitari potest.

10. *Primus est terminus vitalis liber productus per actionem a se distinctam.*—Primo, quando vitalis et libera operatio est proximus et immediatus terminus talis actionis, ut est actio illa qua Deus nobis immediate infundit voluntatem credendi, vel ipsummet actum credendi deliberatum, vel perfectum amorem sui aut contritionem, vel quemlibet alium similem actum. Et tunc sola Dei actio habet rationem auxilii: terminus autem ejus per se non est auxilium, sed effectus auxilii. Atque ita de hoc auxilio vere dicitur solum constitui in prædicamento actionis. Probatur, quia auxilium dicit relationem ad eum qui juvatur, datur enim illi in ordine ad actionem ejus, nimirum ut in illa per tale auxilium aliquo modo juvetur. At vero in illo genere auxilii Deus per actionem suam non facit solus, sed simul cum voluntate vel intellectu hominis, a quibus necesse est ut tales actus simul procedant. Ergo tale auxilium in illa actione Dei, ut actio est, vere ac proprie consistit. At vero terminus talis actionis, qui est actus vitalis perfectus, licet vere sit qualitas, juxta sententiam a Theologis et philosophis frequentius

receptam, non datur, per se loquendo, propter aliam operationem, sed proxime propter se suumque effectum formalem, remote vero propter præmium vel alios effectus supernaturales, et ideo non habet rationem auxilii, sed cujusdam doni actualis gratiæ; ita enim vocantur hi actus a Patribus, dicentibus tantam esse Dei erga homines bonitatem, ut eorum velit esse merita, quæ sunt dona sua: dixi autem supra *per se loquendo*, quia interdum potest unus actus supernaturalis ac liber, et perfectus multum juvare ad alium efficiendum, et sub eo sine et intentione a Deo dari, ut actus fidei vel orationis juvet ad resistendum Dæmoni, et divinus amor ad implenda divina præcepta: sed hoc est secundarium, et quasi accessorium his actibus, et ideo, stricte loquendo, inter auxilia non computantur, sed ut illi fiant cætera auxilia præstantur.

11. *Secundus terminus est actus vitalis intellectus aut voluntatis non liber, per actionem a se distinctam productus.* — Secundo, potest actio, qua nobis Deus præbet auxilium, terminari proxime ad aliquem actum vitalem intellectus aut voluntatis, non tamen liberum, nec perfecte humanum, sed moventem vel operantem ad eliciendum consensum supernaturalem ac liberum, et hujusmodi auxilium præter actionem Dei includit qualitatem quamdam, quia, ut dixi, terminus intrinsecus illius actionis est actus vitalis: actus autem vitalis in suo esse perfecto qualitas est; et quamvis sub utraque ratione sit verum auxilium, nihilominus in ordine ad actum liberum propter quem datur, immediatius est auxilium, prout est quædam qualitas animam afficiens et excitans, seu dans ei vires ad operandum. Ratio est, quia motio illa, ut est actio divina, proxime juvat potentiam hominis ad eliciendum actum illum indeliberatum, et ibi sistit, ut sic dicam, illud adjutorium quoad suum proximum et per se influxum, et ideo non tam est auxilium per se ad actum virtutis intentum, quam auxilium ad motum vitæ formaliter distinctum, qui ad actum moralem et virtutis proxime juvat; quia vero vitalis qualitas, quæ fit per illam actionem, per seipsam proxime juvat ad ulteriorem actum supernaturalem, ideo etiam ipsa actio potest saltem remote dici auxilium ad ipsum consensum. Hoc ergo genus auxilii in actione et qualitate diversis rationibus consistit. Et quia in re nunquam separantur nec distinguuntur, nisi sicut res et modus, ideo, morali et communi modo loquendo, totum illud unum auxi-

lium reputatur, quod potest dici veluti ex actione et qualitate compositum.

12. *Tertius terminus non vitalis per modum actus primi permanentis in potentia solummodo quamdiu illa operatur.* — Tertio modo potest intelligi Deus aliquid in potentia efficiendo, quod non sit actus secundus seu vitalis, sed tantum aliqua entitas per modum actus primi, non tamen permanentis in potentia non operante, sed durantis solum quamdiu potentia operatur, ut in hoc ab omni qualitate, quæ per modum habitus nobis infunditur, distinguatur. Et hoc genus auxilii ponunt aliqui moderni Theologi, et vocant illud actuale, non quia sit actus vitæ, sed quia est quasi transiens, ut ita distinguant illud ab habituali auxilio. Et conveniunt omnes esse motionem seu actionem Dei. Est autem magna controversia inter eos, an sit qualitas necne; quidam enim eorum dicunt esse puram motionem, alii vero addunt etiam esse qualitatem quamdam, ad quam illa motio vel actio intrinsece terminatur. Ego vero nullum tale auxilium internum, potentiisque animæ inhærens, præter actus vitales et actiones eorum, nec alias qualitates per se infusas agnosco, nisi vel habitus, vel supernaturales actus vitales, quod in sequentibus late tractandum est in variis locis et evasionibus. Posita vero illa sententia, multo probabilius est tale auxilium proxime consistere in qualitate, licet præcedat actio vel motio Dei, per quam talem actum infundit, ut in discursu hujus libri ostendam.

13. *Nunquam infunditur motio sine qualitate, quæ sit etiam auxilium, vel terminus auxilii.* — Mens D. Thomæ supra num. 8. — Sic ergo satis probata relinquitur assertio, simulque declaratum est quando actualia auxilia non solum actiones esse possunt, sed etiam qualitates, imo nunquam esse posse actiones vel motiones, quin per ea infundatur aliqua qualitas, quæ sit etiam auxilium, vel ultimus actus, et terminus auxilii. Neque existimo divum Thomam in sensu contrario huic doctrinæ locutum esse; ille enim de solis auxiliis non tractat, sed simpliciter de gratia; et quando dixit actualem gratiam non esse qualitatem, non loquitur de auxilio gratiæ, nec de actione, ut actio est, sed gratuito effectui, hoc est, de ipsomet actu vitali, ut est quidam motus animi perfectus, de quo negari non potest quin sit in re ipsa vera qualitas. Solum ergo, ad distinguendum illud actuale donum ab habituali, dixit divus Thomas non esse qualita-

CAPUT II.

UTRUM AUXILIUM EXCITANS SIT PRIMUM IN ORDINE GRATIÆ SANCTIFICANTIS ADULTORUM.

1. *Suppositio prima.* — *Hæc auxilia pertinent ad solos adultos.* — *Suppositio secunda.* — *Datur aliquod auxilium quod a scriptoribus vocatio, locutio, excitatio dicitur.* — Supponimus interna auxilia gratiæ propria esse adultorum et ratione utentium, quia in operatione rationali aliquo modo consistunt, et ad actus liberos efficiendos conferuntur; ideoque infantes, sicut ad libere operandum, ratione utendum, apti non sunt, ita neque auxiliorum gratiæ sunt capaces; et ideo in hoc, et ductus sequentibus libris, etiamsi interdum simpliciter de sanctificatione loquamur, de sola sanctificatione adultorum semper intelligimus, quod semel admonuisse sufficet. Supponimus deinde dari unum ex auxiliis sub illa generali voce, videlicet, sub sanctificatione, quod continetur sub nomine vocationis, locis in proœmio hujus libri allegatis, et Rom. 8, Marc. 2, et alibi sæpe, et sub nomine pulsus, Apocalyp. tertio, et sub nomine locutionis ad cor, Ose. secundo, et vox ipsa excitationis satis insinuat Dan. 13, ibi: *Suscitavit Dominus spiritum Danielis pueri.* Perinde enim dictum est, ac si diceretur *excitavit*, et ita etiam dixit Petrus, Epist. 2, cap. 3: *Vestram excito in commotione sinceram mentem.* Et Ecclesia frequenter publice orat: *Excita, Domine, corda nostra; excita, Domine, tuorum fidelium voluntates, etc.*, et ex Conciliis et Patribus plura statim afferemus. Ratio autem potissime petenda est ex fragilitate liberi arbitrii ad opera virtutis et pietatis, nam inde oritur necessitas hujus auxilii, quæ magis in sequentibus declarabitur.

2. *Suppositio tertia.* — *Sanctificatio adulti plurimum actuum successionem includit.* — *Status questionis.* — Tertio, supponimus sanctificationem hominis adulti, ut complectitur non solum formæ sanctificantis infusionem, sed dispositiones etiam quæ ad illam præcedunt, non uno momento, nec uno actu, sed plurimum successionem fieri; et ideo, priusquam quid sit hoc auxilium declarem, necessarium judicamus exponere an, via generationis, justificationis initium ab hac gratia sumatur. Quod simili fere modo quæri potest de quolibet opere pietatis, quod est primum in aliquo tempore vel serie operationum, quando videlicet homo

tem, imitatus Aristotelem, lib. 40 Ethicor., cap. 3, dicentem operationem virtutis et felicitatem non esse qualitatem; intelligit enim non esse qualitatem puram, et ab actuali et vitali efficientia hominis independentem, et ideo isti actus, ne putarentur esse qualitates mere passibiles seu receptibiles in subiectis, nomen operationum seu actuum retinuerunt, quia ad suos formales effectus actualem influxum vitæ requirunt. In hoc ergo sensu D. Thomas, ut actum ab habitibus gratiæ distingueret, dixit actus non esse qualitates, quia in actuali motu consistunt, sine quo possunt habitus permanere.

14. *Assertio quinta.* — *Auxilium gratiæ multiplex est.* — Ultimo, dicendum est auxilium gratiæ non unum tantum, sed multiplex esse. Hanc assertionem perfunctorie attigimus in Prolegomeno primo, voces diversorum auxiliorum explicando: in discursu autem hujus libri res per illas significatas explicaturi sumus, ad unam vel duas divisiones illas vocando. Potest enim auxilium gratiæ primo dividi in auxilium in intellectu vel in voluntate receptum, quæ divisio, generatim sumpta, nulla indiget expositione, nam unum in actibus vel motionibus in voluntate receptis, aliud in illustratione intellectus consistit. Secundo, dividi potest utrumque auxilium in supernaturale quoad substantiam, vel quoad modum, quam divisionem in dicto Prolegom. 1 sufficienter pro loci opportunitate declaravi. Et ex dictis in duobus libris præcedentibus, ex parte effectuum seu terminorum, amplius explicata est, nam auxilium in substantia supernaturale ad actus in se supernaturales necessarium est; illud vero quod datur ad actus ordinis naturalis, solum quoad modum supernaturale requiritur. Quomodo autem in seipsis hæc auxilia distinguantur, in capite hujus libri dicetur. Tertio, dividitur auxilium gratiæ in excitans et adjuvans, ad quæ membra revocamus illa similia quæ a Patribus traduntur, nimirum auxilii operantis et co-operantis, prævenientis, comitantis et subsequents, ac denique illud quod specialiter dicitur dari per modum conversus, de quibus omnibus eo ordine quo proposita sunt, in discursu hujus libri dicturi sumus. Quarto, dividitur auxilium gratiæ in sufficiens et efficax, quæ membra in duobus libris sequentibus declarabimus.